



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

Res. 4<sup>o</sup>  
Brit.  
24

H Brit 24.







Brit. 24. J

# EXPOSITIO

FIDELIS DE MORTE D. THOMÆ  
Mori & quorundam aliorū  
insignium uirorum in  
Anglia.

ANNO. M. D. XXXV.

Ornatis. viro D. Ioan. Cholero  
preposito Curicensi. Gilb. Cog. d. m.

2  
SOPM CASPARI AGRIP▶

S. D.

Q  
VONIAM iuxta Pythagoræ sen-  
tētiam oportet omnia esse com-  
munia, recte collegit Euripides  
& dolores inter amicos oportere  
cōmunes esse. Accipies igitur uir  
amicissime ab amico minime læ-

ta, sed omni lacrymarū genere bonis omnibus de-  
ploranda, quanq̄ arbitror famam istuc iam dudum  
omnia pertulisse priusquam ad nos, de morte quo-  
rundam apud Anglos insignium uiroꝝ, sed præ-  
cipue THOMAE MORI, dū uiueret eius regni Baro-  
nis inclyti, ac supremi iudicis, quem illi Cancellarium  
appellant, qua dignitate non est apud eam gentem  
alia maior excepto Rege, eoque quum prodit, aureū  
sceptrum imposita corona Cæsarea gestatur ad unū  
latus, ad alterū liber. Quæ uero sum narraturus par-  
tim è schedis Gallice scriptis, quæ hic circūferuntur  
desumpsi, partim è rumoribus. Nam nihil horum  
uidi. Sed priusquam aggrediar, paucis describā Lō-  
doniensis urbis situm. Ciuitas in latum angusta, ad  
Thamysim flumen sic in longum porrecta est, ut ui-  
deatur non posse desinere, unde & nomen uidetur  
inditum

inditum, siquidem apud Flandros loca mari uicina Dunen appellant. Indidem dictum uidetur Galliarum Lugdunum, quasi dicas, longas ripas. Ad orientem in extremo habet arcem bene munitam, qua reges interdum utuntur, uulgus Turrim appellat. Sed in eadem seruari solent uiri nobiles aut alias dignitate quapiam præminentes, qui uidentur aliquid aduersus Regiam maiestatem deliquisse. In altero extremo ad occasum insigne monasteriū est Benedictinorū, uulgus appellat Vuestmonasterium, & huic proximum Regis palatium structuræ ueteris, sed quo nunc reges parum delectantur. Palatio adiuncta est domus spatiosissima, nullis fulta colūnis, in qua sedent iudices. Vtrunq; ædificium flumini imminet, ut hinc illuc cymba uehi possint. In hac arce THOMAS MORVS posteaquē multis mēsis fuisset captiuus, Cal. Iulij anno Domini M. D. XXXV productus est ad modo dictam Curiam capitum causam dicturus apud tribunal iudicum à Rege delegatorum. Ibat reus baculo innixus tam longam uiam, corpore graui egrotatione in carcere debilitato, nihil tamen perturbationis uultu præ se ferens. Primum recitati sunt articuli criminum quæ illi ohñciebantur. Mox Cancellarius qui Moro successit, ac dux Northfordij hunc in modum reum appellarunt. En uides

A ij Magi.



Magister More, sic appellât mediocri dignitate præditos, te grauiter deliquisse in Regiam Maiestatem. Attamen speramus te, si modo resipiscas, & abiures istam obstinatam opinionem in qua hæctenus tam procaciter perstitisti, ueniam à Regis clementia consequenturum. Ad hæc Morus. Domini mei, ego sum mo cordis affectu ago uobis gratias, pro ista uestra amica erga me uoluntate. Tantum illud oro Deum omnipotentem, confirmare dignetur me in hac qua nunc sum sententia, ut in ea perseuerem usq̃ ad mortem. Cæterum quum reputo quàm prolixi quanc̃q̃ graues articuli sunt quibus oneror, ueror ne mihi nec ingenium suppetat, nec memoria, nec oratio que sufficiat ad respōdendum omnibus, præsertim quū in carcere tam diu fuerim detētus, in quo graui egrotatione contraxi corporis debilitatem, quæ me nunc etiam habet. Tum iussu iudicum allata est sella in qua sederet. Vbi confedisset, prosequutus est institutum sermonem hunc in modum. Quod ad primū attinet articulū, qui conatur ostendere meam in Regem maleuolentiam, in negotio posterioris matrimonij, confiteor ingenuè, me semper restitisse illius serenissimæ Maiestati. Nec est animus super hoc negotio quicquā aliud dicere, quàm quod hæctenus semper dixi, ad hoc urgente me conscientia: per quā  
ut

ut non debebam, ita nec uolebam principem meum  
cælare ueritatem. Nec hic est ulla proditio quæ in-  
tenditur, quin potius ni id fecissem, præsertim in re  
tanti momēti, unde pendeat mea sententia, & prin-  
cipis honos, & regni tranquillitas, tum uere fuisset  
quod nunc obijcitur, maleuolus, perfidus ac prodi-  
tor. Ob hoc delictum (si modo delictum appellan-  
dum est) grauiissimas dedi pœnas, exutus omnibus  
facultatibus meis, ac perpetuo addictus carceri, in q̄  
menses iam quindecim totos fui detentus. Sed his  
omissis tantum ad ea respondebo quæ sunt huius  
negotij præcipua.

Quod obijcitur, me incurrisse in pœnam uiolata  
constitutionis, quæ proximo consilio prodita est, me  
iam in carcere agente, quasi malitioso animo, perfu-  
dioso ac proditorie Regiæ Maiestati detraxerim,  
famam, honorem ac dignitatem, quæ illi per dictā  
constitutionem erat tributa, uidelicet quod ibi decla-  
ratur sub Iesu Christo supremum caput ecclesiæ An-  
glicanæ, in primis respōdebo ad hoc quod mihi ob-  
ijcitur, quod Domino Secretario Regis ac uenerabi-  
li Maiestatis illius consilio, rogatus quæ mea esset de  
hoc ædicto sententia, nihil aliud uoluerim respon-  
dere, quàm me iam mundo mortuum esse, nec istius  
modi negotijs amplius sollicitari, sed tantum medi-

A iij tari

tari in passione Domini nostri Iesu Christi. Dico me per istam uestram constitutionē ob hoc silentiū non posse damnari capitis, ed quod nec uestrū ædictum, nec ullæ leges mundi possunt quenq̄ ob silentium addicere morti, sed tantū ob dictum aut peperatum facinus. De occultis enim solus iudicat Deus. Ad hæc respondit procurator Regius interpellans: At tale silentium inquit, cuidens argumentū est animi male sentientis de iam dicta constitutione. Nam omnis subditus syncerus ac fidelis Regiæ Maiestati; si de dicta constitutione interrogetur, tenetur & obligatur citra omnē dissimulationem respondere categoricè: Regium edictū esse bonū, iustum ac sanctū. Ad quæ Morus: Si uerum est quod habetur in legibus, eum qui tacet uideri consentire, meum silentium confirmauit potius uestram constitutionē q̄ improbauit. Iam quod dicis, omnem subditū fidelem obligari ut respondeat Categoricè si interrogetur &c. Respondeo, bonæ fidei subditum magis obligatum esse Deo, conscientiæ & animæ suæ, q̄ ulli aliq̄ rei in hoc mūdo, maxime si talis cōscientia qualis est mea, nihil offendiculi, nihil seditionis pariat domino suo. Nam illud pro certo uobis affirmo, quod nulli mortaliū unq̄ detexerim hac in re conscientiam meam. Venio nūc ad secundum accusationis caput, quo  
argu

arguor contra dictam constitutionē molitus ac machinatus fuisse, eò quod ad Roffensem scripserim octo paria epistolarū, quibus illum animarim aduersus istud edictum. Equidē uehementer optarim eas epistolas hic proferri ac recitari, quæ me uel conuincerent uel liberarent. Cæterū quando illæ, quæ admodum prædicatis, per Episcopū exustæ sunt, ipse non grauabor recitare sententiā earum. In earū quibusdā agebatur de nostris priuatis negotijs, pro uetere nostra amicitia ac familiaritate. In una quadam continebatur responsum ad Episcopi litteras, quibus scire cupiebat, quid & quo pacto respondissem de ista constitutione. Ad id nihil aliud rescripsi, nisi me iam meâ composuisse conscientiam, ipse componeret suam. Animæ meæ periculo ac teste Deo uobis asseuero, nihil aliud in illis litteris à me scriptum fuisse. Harum igitur caussa non possum per uestram constitutionē addici morti.

Supereſt tertius articulus, qui intendit quod quū de uestra constitutione examinerer, dixerim eā esse similem gladio utrinq; secātī, propterea quod si quis uellet eā seruare, perderet animā: si contradicere, perderet corpus. Idem quoniā, ut dicitis, respondit Episcopus Roffenſ. perspicuū esse inter nos fuisse conspirationē. Ad hæc respondeo, me nunq̄ fuisse loquutum

tum, nisi conditionaliter. Sic uidelicet, si tale esset editū, qualis est gladius utrinque incidens, quod pacto posset quis euitare, quin in alterum incideret periculum. Hæc mea fuit oratio. Quo responderit Episcopus nescio: si illius oratio cum mea congruebat, id nequaquam accidit ex conspiratione, sed potius ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine. Breuiter illud pro certo habetote, me nunquam quicquam malitiose fuisse loquutum aduersus uestram constitutionem: at fieri potuit, ut ad benignam Regis clementiam aliquid malitiose fuerit delatum.

Post hæc uocati sunt per quendam ex ostiarijs, duodecim uiri, iuxta gentis illius consuetudinem, quibus traditi sunt articuli, ut super illis consultarent, ac post consultationem iudicaret ac pronuntiarent, utrum THOMAS MORVS malitiose obstitisset predictæ constitutioni Regis, an non. Qui quum per horæ quartam partem secessissent, reuersi sunt ad principes ac iudices delegatos, ac pronuntiarunt Killim, hoc est, dignus est morte. Ac mox per D. Cancellarium lata est sententia iuxta tenorem nouæ constitutionis. His ita peractis Thomas Morus hunc in modum orsus est loqui: Age, quando sum condemnatus, quo iure Deus nouit, ad exonerandam conscientiam uolo liberius eloqui quod sentio de uestra constitutione. Primum illud dico, me septem annis intendisse animum studiumque meum in istam

istam causam, uerum haecenus in nullo doctorū ab ecclesia probatorū reperi scriptum, quod Laicus, aut ut uocāt, secularis, possit aut debeat esse caput status spiritualis aut ecclesiastici. Hic Cancellarius interrūpēs Mori sermonē, Domine More, inquit, ita ne tu uis haberi sapientior, meliorisq; cōscientiē omnibus Episcopis, tota nobilitate, toto deniq; regno? Ad quā Morus, Domine, inquit, Cancellarie, pro uno Episcopo quē habes tuā opinionis, ego sanctos & orthodoxos uiros habeo plures centum, mecū sentientes, & pro unico uestro cōcilio, quod quale sit Deus nouit, pro me habeo omnia concilia generalia annis ab hinc mille celebrata, & pro uno regno, habeo Franciam cæteraq; orbis Christiani regna omnia. Hic dux Nortfordij interpellās. Nunc More perspicue liquet tua maleuolētia. Ad quē Morus, Milordt, sic Angli compellant insigni dignitate prestantes, ut hæc loquar nō incitat maleuolentia, sed cogit necessitas ad exonerandam conscientiam meā, teste Deo, qui solus scrutatur corda hominum. Preterea dico & illud, constitutionē uestram esse perperā factam, eo quod uos professi estis, & iureiurando uosmetipsos obstrinxistis, nihil unq; molituros aduersus sanctam ecclesiam, quæ per uniuersam ditionē Christianam unica est, integra & indiuidua, neq; uos soli ullam habetis autoritatē citra aliorū Christianorum consen-

B sum

sum condendi legem, aut instituendū conciliū aduersus unionem & concordiam Christianitatis. Nec me fugit, quam ob rem à uobis condemnatus sim, uide licet ob id, quod nunq̄ uoluerim assentire in negotio noui matrimonij Regis. Confido autem de diuina bonitate ac misericordia fore ut quēadmodum olim Paulus Stephanum persecutus est usq̄ ad mortem, & tamen ijdem nunc unanimes sunt in cœlo, ita nos qui nūc discordes sumus in hoc mundo, in futuro seculo pariter simus concordēs, & perfecta charitate unanimes. Hac spe fretus precor Deū ut uos seruet unā cum Rege, eiq̄ dare dignetur bonos cōsultores. His ita peractis, THOAS MORVS reductus est in turrim. Hic obiter accidit spectaculum ipsa condemnatione miserabilius. Margareta filiarum Mori natu maxima, mulier præter eximiā formæ uenustatem cum summa dignitate coniunctam, iudicio, ingenio, moribus & eruditione patris simillima, per mediam populi turbam, percq̄ satellitum arma semet iniecit, & ad parentem penetrauit. Quū & mulier esset, & natura cum primis uerecunda, tamen & metū & pudorem omnem excusserat impotens animi dolor, cum audisset patrem in Curia morti addictum esse. Hoc accidit priusq̄ Morus arcis portam ingrederetur. Ibi in charissimi parentis collum irruēs, arctissimo complexu aliquandiu tenuit eum. Cæterum ne uerbum quidē

quidem interim potuit proloqui. Curæ, inquit Tragicus, leues loquuntur, ingentes stupent. Mouit stipatores tamen si duros hoc spectaculum. Horum itaque permissu Morus his uerbis consolatus est filiã. Margareta patienter feras, nec te discrucies amplius. Sic est uoluntas Dei. Iam pridem nosti secreta cordis mei: simulque dedit osculum ex consuetudine gentis, si quæ dimittunt. At illa cum digressa esset ad decem uel duodecim passus, denuo recurrit, & amplexa parentem rursus inhæsit collo illius, sed elinguis præ doloris magnitudine. Cui pater nihil loquutus est, tantum erumpentibus lacrymæ, uultu tamen à constantia nihil dimoto. Nec aliud supremis uerbis mandauit quàm ut Deum pro anima patris deprecaretur. Ad hoc pietatis certamen plurimis è populari turba lacrymæ excidere. Erant & inter satellites ferum & immitis genus hominum, qui lacrymas tenere non potuerunt. Nec mirum, quum pietatis affectus, adeo ualida res sit, ut immitissimas etiã feras moueat. Hic apud se quisque reputet quàm ualido ariete tum pulsatum sit Thomæ Mori pectus. Erat enim erga suos omnes adeo φιλόσοφος, ut non alius magis, sed eam filiam ut erat eximij prædita dotibus, ita diligebat impensius. Morum fortiter excepisse sententiam mortis, aut etiam carnificis securim, minus admirandum existimo, quæ pietatem erga suos potuisse uincere. Nihil enim ad-

B ñ dubito



dubito, quin hic doloris gladius crudelius uulnerarit  
Mori præcordia, quàm illa carnificis securis quæ col-  
lum amputauit.

Die Mercurij sequente, hoc est, septimo die Iulij  
productus est in planiciem, quæ est ante arcē. Mos  
est illic ut affiendi supplicio, de ponte plebem allo-  
quatur. At Morus paucissimis uerbis est usus, tantū  
orans qui aderant, ut pro ipso Deum orarent in hoc  
mundo, se uicissim in altero mundo preaturum pro  
ipsis. Mox hortabatur atq; instanter rogabat, oraret  
Deum pro Rege, ut illi dignaretur impartire bonum  
consiliū, contestans se mori fidelē ac bonum Regis  
ministrū, ac Dei in primis. Hæc loquutus præp-  
stantiq; uultu flexis genibus ceruicem posuit secu-  
rim excepturus, non sine graui multorum gemitu.  
Erat enim bonis omnibus charissimus.

Quæ hæctenus narraui, ferè continebātur in sche-  
da apud Parisios iactata, ac per manus hominū uoli-  
tante. Quisq; autē scripsit, uidetur actis interfuisse,  
Quæ deinceps referam, partim ex amicorum litteris,  
partim é rumoribus accepi. Paucis ante diebus, hoc  
est, xv. Cal. Iulias IOANNES PHISCHERVS Epi-  
scopus Roffensis, qui tum uitæ sanctimonia atq; au-  
steritate, tum administrandis sacramentis, tum assi-  
duitate docendi uoce simul & scriptis, deniq; mira li-  
beralitate in egenos, benignitate in studiosos, uerum  
agebat

agebat Episcopū, ex arce dicta in qua captiuus tenebatur productus est, & ad Curiam, quæ ut ante dixi, Vuestmonasterio proxima est, frequenti satellitum armatorū stipatu perductus est, partim nauigio, partim equo, ob corpusculi debilitatē, quam præter ætatem auxerat carceris incōmoditas, licet ipse ualitudinem suam semper & ieiunijs & uigilijs & studijs & laboribus ac lacrimis uehementer attenuasset. Ille uero tametsi non ignoraret eius cognitionis exitū, nihil tamen perturbatus est, sed placido, ac prope etiā ad hilaritatem composito uultu ad tribunal euocātibus paruit. Ibi iuxta morem eius regionis quæ antea descripsi, sententia capitali damnatus est, supplicium daturus, simul atq; Regi uisum esset. Hoc adiectum suspicor, si forte spe uenię ac supplicij metu posset à sententia deduci. Mortis genus erat & fœdum & horribile, quo tamen fuerant affecti Cartusiani aliquot, quos aiunt fuisse quindecim, quod ut credā uix possum adduci. Cartusianis adiunctus est Reginaldus monachus Brigittensis, uir angelico uultu & angelico spiritu, sanicq; iudicij: quod ex illius colloquio cōperi, quū in comitatu Cardinalis Campegi uersarer in Anglia, Nam Cartusianorū noui neminē. Aiunt ex his quosdam fuisse per uiam tractos, dein suspensos laqueo, ac spirantibus etiāmnū execta intestina, quosdā etiam exustos igni, sed omniū incredibilem

B iij. fuisse

fuisse constantiã. Solet rumor rebus tristibus aliqd addere. At si hic uerus est, uideatur hoc esse consilium eorũ qui regio obsecũdãt animo, ut immanitate suppliciorũ cæteros absterreant. Nam facile diuinabãt, institutum plurimis improbatum iri, præsertim ecclesiasticis & religionis studio deditis. Sed ad Roffeñ. Episcopum redeo. Is accepta tam horrendę mortis sententia, quũ satellitibus stipatus reduceretur in arcẽ ut ad ostiũ uentum est, uersus ad satellites hilari placidoq; uultu, Plurimã, inquit, optimi uiri, uobis habeo gratiam, pro officio quo me euntẽ & redeuntẽ deduxistis. Dixisses hominẽ ex hilari suauiq; redire cõuiuio, adeo & color erat iucũdior, & ipse toto corporis gestu, quatenus per grauitatem licuit, lætitiã quandã præ se ferebat, ut nemini nõ esset perspicuũ sanctissimũ uirum, ceu iam portui uicinũ, toto pectore ad illam beatam tranquillitatẽ aspirare. Nec diu dilata est mors. Ad decimũ Cal. Iulij productus in planiciem, quã Angli, uulgo dicunt turris collem, uultu non solum constanti, uerũ etiam alacri, paucis alloquutus est populum. Primum Regi regnoq; bene precatus est. Mox ardenti magisq; proluxa precatione se ipsum Dei misericordiã cõmendauit: simulq; procubens in genua, gracili & exhausta ceruice securim excepit. Neq; enim apud Anglos carnifices gladio ceruicem incidunt, sed damnato in truncũ ad id apparatus

apparatum inclinanti, securi caput amputant. Quanto cum animi dolore uiderint hoc spectaculū quibus religio pietasq; cordi est, & qui Christi spiritū in pastore operantē experti fuerant, facile quiuus ex sese poterit aestimare. Cæterū quod mitiore pœna affectus est, q̄ minabatur iudicum sententia, sunt qui in causa fuisse putent, quod metuerint, ne senex & exhausto corpusculo, si per uiam tam longā rheda traheas tractus fuisset, sponte exspiraret. Ego suspicor ob hoc, mortis genus atrocius denunciātū: ut immanitate supplicij territus mutaret sententiam. Nec desunt qui prædicāt, ob hoc ipsum acceleratam mortē, quod Rom. Pontifex Paulus tertius Episcopū Roffensem ob insignē doctrinam ac pietatem in Cardinaliū ordinem allegisset. Ex amicorū litteris cognoui, in Germania inferiore sparsum rumorē, quū Episcopi Roffen. caput esset in ponte Londoniensi de more expositum, non solum nō emarcuisse, uerū etiā magis effloruisse, uiuocq; factū similius, ut multi crederent fore, ut etiā loqui inciperet: quod in quibusdam martyribus factum legimus. Ea res seu fama quū uulgo increbuisse, sublatum est atq; abditum. Populus enim credulus sæpe leui quapiam occasiōe turbas ingentes excitat. At ueriti ne idem eueniret in capite Mori, priusquā exponeretur, aqua feruēti decoctum est, quo plus haberet horrois. Hæc aliq; multa

multa his similia perscribuntur è Flandria Britannis  
 uicinior, penes alios sit fides. Vtinam huc peruenis-  
 sent acta Roffen, quemadmodũ acta Mori peruene-  
 runt. Ex Mori responsis facile liquet, illũ destinasse  
 mori citius, quàm suæ sententiæ canere palinodiam.  
 Quo animo uidentur omnes fuisse qui ante Morũ  
 extincti sunt. Morum ac Roffensem & illud mouit  
 opinor, quod qui bene natos, laute educatos, in ho-  
 nore habitos, in carcere detinet, non dat uitam, sed ló-  
 giorẽ & acerbiorẽ mortẽ. Ego si regi fuisset in cõ-  
 silio, pro mea stultitia conatus fuisset illi psuadere,  
 ut pro sua solita clementia cæterisq; uirtutibus per  
 quas nomen ipsius hæctenus erat apud omnes nati-  
 ones gratiosum & amabile, ab illis Britaniæ luminis-  
 bus, totiq; orbi notis abstineret, aut certe pœna miti-  
 ore cõtentus esset. Rursus si qui perierũt me adhibu-  
 issent in consiliũ, suasissem, ne se irruenti procellæ pa-  
 lam opponerent. Violenta res ira regum, cui si incõ-  
 mode resistas, grauiores excitant tumultus. Equi fe-  
 roces quemadmodũ & tonitrua, non ui sed popy-  
 mate leniuntur. Et nauatæ non pugnant aduersus im-  
 potentem tempestatẽ, sed uel quiete uel obliquis cur-  
 sibus utentes expectant cœlum commodius. Multis  
 rebus medetur tempus, quas nulla ui possis emenda-  
 re. Res humanæ semper quidem fluctuant, sed quo-  
 ties incidit insignis aut fatalis rerum mutatio multi  
 peri-

periclitantur qui non cedunt turbini. Veluti quū Iulius Cæsar aperiret ianuā tyrānidī, & triūviri iunctis copijs Imperium orbis occuparēt, laudatissimi quicq; viri perierunt, quorū erat & M. Tullius. Qui monarchis seruiunt, ijs quædam dissimulanda sunt, ut si nō queant obtinere quod iudicauerunt optimū, saltem aliqua ex parte moderentur principum affectus. Dixerit aliquis, pro ueritate mortē oppetendam. At nō pro quauis ueritate. Si tyrannus iubeat, aut abiura Christum, aut pone ceruicē: ponenda ceruix. Sed aliud est silere, aliud abiurare. Si fas est te dissimulare Christianum citra graue scandalum, multo magis licuisset hic esse tacitum. Sed inepte facio, qui de rebus tam arduis disputem, qui nuncq; interfuerim monarcharū consilijs. Itaq; de tota causa iudicium alijs relinquo. Illud satis cōstat, eos uiros si quid peccarint, nulla in Regem maleuolentia peccasse, sed simplici synceraq; conscientia errasse. Hoc sibi penitus persuaserant, hoc medullis infixum habebant, sanctū, pium, Regi honorificum, regno salutare uisū quod tuebantur. Argumento est, quod nullus illorū affectarit regnum, aut alteri asserere conatus sit, nec ullam molitus sit seditionē, aut ullas cōtraxerit copias, ac ne uerbum quidem excidit odium conspirationē uē respiciens. Silere cupiebant si licuisset, sed patienter ac placide mortē exceperūt, nihil aliud quam Regi regnoq;

C bene

bene precantes. At in atrocibus etiam criminibus magna culpæ partē excusat simplex ac pura conscientia animusque non lædendi, sed bene merendi cupidus. Tum apud efferas etiam nationes frequēter eximiæ uirtuti, præstantique doctrinæ honos est habitus. Platonem apud Aeginetas iuxta ciuitatis constitutionem capite plectēdo, profuit Philosophi cognomē. Diogenes impune penetrauit in castra Philippi regis Macedonū, ad quē pro exploratore adductus, libere exprobrauit Regi insaniam, quod non contentus suo regno, semet cōjceret in periculū ne perderet omnia. Non impune tantum, sed etiam cum munere dimissus est, non ob aliud nisi quod esset Philosophus. Quæadmodum monarcharū in eruditōs benignitas plurimū honesti nominis illis conciliat, ita durius tractati plurimū inuidiæ conflant illis. De his præcipue loquor, qui scriptis inclaruerūt apud omnes nationes, & quorum memoria uidetur apud posteros futura gratiosa. Quis nunc nō execratur Antonium, qui Ciceronē ferro peremit? Quis non detestatur Neronem qui Senecam occiderit? Nec minimū gratiæ decessit Octauij Cæsaris nomini quod Ouidiū apud Getas relegarit. Hæc nequaquā eō mihi dicuntur, ut Regē Christianū cum impijs principibus cōferam, aut de negotio cuius circūstantias non noui pronuncie, quod etiam si periculū abesset, temerariū esset: sed ut ostendam

dam

dā quibus rationibus fuerim conaturus persuadere, ut Rex parcēdo uiris pietatis & eruditionis cōmēdatione iā immortalitati cōsecratis, suo quoq; nomini cōsuleret. Plausibilis semp est præpotentū clemētia, sed tum clarissimos fert applausus, quoties uiris illustribus ac de re pub. bene meritis impēditur. Omne solum forti patria est : & exilium fortibus ac præclaris uiris sepe cessit feliciter. Mortis inuidia grauis est. Quū rex Galliarū Lodouicus XII. regnū adeptus pararet diuortū cum Lodouici regis XI. filia, Maria, ni fallor, nomine, res displicuit quibusdā bonis, ex quibus Ioānes Standock & huius discipulus Thomas, in concione nihil aliud dixerant, nisi Deū orandum esse ut Regi inspiraret bonū consilium. Quæ apud populū dicuntur ad seditionem spectant. Et hi deliquerāt aduersus Regis edictū, Rex tamē nihil aliud quæ uertere solum iussit, nec quicquid ademit facultatū, at idē negotio quod agebat confecto reuocabat eos. Hac moderatione rex ille & suo consuluit instituto, & grauem inuidiam euitauit, quod uterq; esset Theologus, uterq; sanctitatis opinione cōmendatus. AT THOMAE MORI mortē deplorant & ij, quorū instituto pro uiribus aduersabatur. Tantus erat hominis in omnes candor, tanta comitas tantaq; benignitas. Quē ille uel mediocriter eruditū ab se dimisit indonatum. Aut q; fuit tā alienus, de quo nō studuerit bene

C ij meteri



mereri. Multi non fauēt nisi suis, Galli Gallis, Germani Germanis, Scoti Scotis. At ille in Hybernos, in Germanos, in Gallos, in Scythas & Indos amico fuit animo. Hæc naturæ benignitas sic Morū omniū animis penitus infixit, ut non secus ac parentem aut fratrem plorēt extinctū. Ipse uidi multorū lacrymas qui nec uiderant Morū, nec ullo officio ab eo fuerāt affecti, ac mihi quoq; dum hæc scribo, nolenti ac repugnāti lacrymæ profiliūt. Quomodo nūc affectū credimus Erasmi nostrū, cui cū Moro tam arcta fuit amicitia, ut prorsus, iuxta Pythagorā, in duobus eadē esse uideret anima. Equidem misere metuo, ne bonus ille senex suo Moro cōmoriat si tamē adhuc in uiuis est. Sunt qui nos cōsolant hoc argumēto, quod dicunt, non deplorandos esse, sed gratulandū potius ijs, qui tali morte uitā finierunt. Est istud fateor nō leue doloris lenimē, at ego Morū optarim incolumē, quū omnium studiosorū gratia, tum uero præcipue familiæ causa, quam & numerosam & plane Philosophicam reliquit, filium natu minimū iam maritū ac liberorū parentem, filias tres, & has nuptas ac liberorum matres, eruditas omnes, ac sub paterna disciplina ad Christianā philosophiam pulchre institutas, uxorem fidelē, ac iam anum, ex qua tamen nullam prolem sustulit. Has omnes cum sponis, nepotibus ac neptibus in unis ædibus alebat, tāta religione, tan-

taq;

taq̄ concordia, quantā non temere reperias in colle-  
gijs monachorū ac uirginum. Hic mihi cogita, uir o/  
ptime, qui luctus, quæ lacrymæ, qui gemitus, qui do-  
lores totam illam familiā conficiant. Quot egregias  
animas uulnerauit illa securis, quæ Mori caput am-  
putauit. Multi demirantes rogant, quid tanti sceleris  
commiserit, uir semper habitus innocētissimis mori-  
bus. Quibus uix habeo quod pro comperto respon-  
deam, nisi quod partim cōjicere licet ex articulis Mo-  
ro obiectis & illius responsione, partim ex amicorū  
litteris ac fama uulgata discere dat̄. Rex ut omnibus  
notissimū est, aliquot annis moliebatur repudium eū  
Regina Caroli Cæsaris matertera. Morus præsa-  
giens quò res esset euasura, ultro deposuit Cancellarij  
munus, alia quædam causatus, ne cogeretur eius  
negotij exequutor esse, quod apud sese non proba-  
bat. Erat enim mentis tam religiosæ, ut propior esset  
superstitioni q̄ impietati. Sic cogitabat, priuato lice-  
bit quiescere: Cancellario, qui os est regis, nō licebit.  
Videbat fore, ut cogeretur multos condēnare mot-  
te, quos iudicabat optimos, ad hæc exitū tanti nego-  
tij incertum esse, ob ecclesiasticorum potentiā ac gen-  
tis illius solitam in reges ferociam. Tale si quid natū  
fuisset, prima uictima fuisset Cancellarius. At me si  
Morus in conciliū adhibuisset, quū esset tam anxie  
religiosa conscientia, dehortatus fuisset eum ne su-

C in sciperet

sciperet dignitatē. Vix enim fieri potest, ut qui in arduis principum functionibus uersant, in magnis pariter ac paruis iustitiam ad unguē obseruent. Proinde mihi gratulantibus quod talem haberē amicum in tanto rerū fastigio collocatum, respondere soleo, me nō prius illi de eius dignitatis accessione gratulaturū q̄ iuberet ipse. Iā tum enim nescio quid sinistra præfagebat animus. Nec Regē arbitror latuisse, quā ob causam Morus deponeret magistratum, ut cunq̄ dissimulauit, quod Homerus indicat monarchis esse proprium, offensionē in animo tegere, donec multo post tempore detur ulciscendi oportunitas. Interim Rex minis ac fulminibus Clementis v II. factus irritior, adiecit animū ad uetus illius regionis exemplū, ut regnū à iure Pōtificis Romani assereret, & utriusq̄ status supremam potestatē sibi uendicaret. Cæterū quū sentiret, plurimorū animos ab hoc instituto abhorrere, ne qua cooriretur seditio promulgatum est edictum, ut quicumq̄ non abiuraret Ro. Pont. autoritatē, aut improbaret nouū matrimonium, capitalis esset. Verum hoc edictū non est promulgatum nisi Roffenē. & Moro iam ductis in custodiā. Roffensis semper plurimū tribuit sedi Romanæ, & aduersus repudiū libris etiam cōscriptis pugnat, sed tum quū adhuc integrum esset cōsulere. Morus scripsit nih il, sed pro officio quod gerebat conabat Regis animū in eam

in eā inflectere sententiā, quam putabat & Deo gratam, & Regi tutam, & regno salutarē. Erat illi magna familiaritas cum Episcopo Rossen. tum prædiū qđ habebat Morus, non procul aberat à Richemonda. Ibi Regio palatio uicina sunt duo monasteria uehementer opulenta, & quod maius est, bonæ disciplinæ, alterū Cartusianorū, alterū Brigittensium. Ab his facile crediderim sollicitatum Mori animū, ut ecclesiæ causam tueretur: at ipsum aliquid effutisse quod rebellionē saperet, nunquā sum crediturus, ut qui ex crebris colloquijs perspexerim admirabilem quandam hominis cautionē. Equidem uix aliū Anglum comperi, qui tam medullitus amarit principem suū, aut magis ex animo bene uellet quàm ille. Vnde igitur hic tumultus? Violenta res est, conscientia magis metuens Deū offendere, quā mortē oppetere. Forte fesselit eum persuasio. At demiror si uir ille leuibus argumentis adductus est, ut sic obfirmaret animū. Maluit ipse perpeti, quàm in alios facere, qđ necesse fuisset, si in suscepto munere perseverasset. Quin & Reginae ueteris, singulari pietate foeminae multos miseret, nō tantū ob id quod dudum tanta dignitate florēs, nūc in eum statū redacta est, ut ob diuortium nec eo frui possit, qui cū tam diu uixit, nec alteri nubere ob Clementis sententiā: uerū etiam quod uidet, nō dubium quin cū summo animi dolore, ipsius causa tales uiros

trucida

trucidari. Huius porrò Tragœdię quis sit futurus exitus, Deus nouit. Illud inconfesso est, per necem beati Thomæ Acrensis, plurimum & auctoritatis & opū accessisse statui ecclesiastico apud Anglos. Qui res mortaliū suo inperscrutabili consilio moderatur, pro sua bonitate dignabitur hæc omnia uertere in suam gloriam. Tantū è scheda, rumoribus & amicorū litteris, hæcenus licuit cognoscere : si compertiora fuero nactus, tibi cōmunicabo. Tu fac uicissim ut per te sciamus quid agat rex Sion, cum suis prophetis, populorū retincto, de quibus hic mira ferūtur, an uera nescio. Apud Lutetiam Parisiorum x Cal. Augusti,

ANNO. M. D. XXXV.









